445

L

20

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

KW 445 L 20.

ANTONII MATTHÆI

ORATIO INAUGURALIS.

DE


Jurisprudentiæ Dignitate, & Modi Perveniendi Ad Ejuſdem Faſtigium

HABITA

Lugduni Batavorum in Auditorio Majore

A. D. XIII. Kal. Feb. Ann. CIↃ IↃ C LXXIII.

Quum juris Profeſſionem Ordinariam ſuſciperet.



LUGDUNI BATAVORUM
Ex Officinâ ARNOLDI DOUDE.

CIↃ IↃ C LXXIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

ILLUSTRIBUS,
NOBILISSIMIS
GENEROSISSIMIS
VIRIS,
CURATORIBUS
ACADEMIÆ, QUÆ LUG-
DUNI IN BATAVIS.
CIVITATIS CONSULIBUS,
QUIQUE ILLIS A SECRETIS EST,

Se, & Orationem hanc
Devovet, & Dicat
ANTONIUS MATTHÆUS.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

rari cum ICtorum admirabili gloria? Quis conſulit Medicum, quis adit Philoſophum, ſi amicus ejus, ſi propinquus, ſi ipſe denique inciderit in quoddam negotium? Quis egregium Geometram, aut, ſi hoc honorificentius eſt, præclariſſimum Mathematicum æque ac ICtum aut deducit, aut ſalutat, aut proſequitur? Quotuſquiſque cum accedit ex longinquis regionibus in illuſtrem hanc Academiam, Poëtam requirit, atque adeo ſiquis requirit, & ſemel vidit, tranſit, & contentus eſt, ut ſi picturam aliquam, aut ſtatuam vidiſſet. Nam ne fama quidem & opinio ſolet ſequi Poëtas, ut ICtos toto terrarum orbe & comitatur, & ſequitur, & extollit in cœlum. Quam pauci ſunt Medici, quam pauci Philoſophi, quam pauci Geometræ, quam pauci Dialectici, qui ſuarum artium beneficio Regum aut Principum conſecuti ſunt amicitiam, qui ſuarum artium beneficio retulerunt aut honores, aut dignitates ampliſſimas, cum ICti pervenerint in amicitiam maximorum Principum totius orbis terrarum; cujus rei argumentum non aliud eſt fortius, quam quod è ICtis XXXVII. ex quorum libris Juſtinianus glorioſiſſimus Princeps Digeſta compoſuit, neminem propemodum extitiſſe cognoverim, qui non evectus ſit ad ſummos honores, ad Præturam, ad Conſulatum, ad Præfecturam Prætorii. *Attejus Capito*, dicit alibi Tacitus, *principem in civitate locum eſt aſſecutus civilibus ſtudiis, ſed avo centurione Syllano, patre Prætorio. Conſulatum ei acceleraverat Auguſtus; ut Labeonem Antiſtium iiſdem artibus præcellentem dignatione ejus magiſtratus anteiret. Sed Labeo incorrupta libertate, & ob id fama celebratior &c.* Neratium Priſcum fuiſſe tam charum & acceptum Trajano optimo & clementiſſimo Principi tradiderunt memoriæ, ut deſtinans Trajanus eum ſucceſſorem imperii vocem illam aſſentientibus multis aliquando emiſerit, & Neratio dixerit: *Commendo tibi, mi amice, provincias, ſi è vivis exceſſero.* Alfenus autem obſcuris parentibus, gigantis fraterculus, ſutoris diſcipulus,

cum relicta taberna, relictis calceis & inſtrumento ſutorio juriſprudentiæ dare cœpiſſet operam, evaſit & Conſul, & maximi nominis, & incomparabilis ICtus. Quid autem memorem Maſſurium Sabinum? Quid Celſum, quid Julianum, quid Modeſtinum, quid Proculum? Quid Domitium Ulpianum, virum eloquentiſſimum, libellorum magiſtrum, & Præfectum prætorio? Quid Papinianum, quem juris aſylum, & doctrinæ legalis theſaurum Spartianus appellat, Impp. ipſi modo maximum vocant, modo σοφώτατον, conſultiſſimum, diſertiſſimum, acutiſſimum, ſummi ingenii, excelſi ingenii, acutiſſimi ingenii, Carus, Carinus, & Numerianus prudentiſſimum virum, Spartianus rurſum Imp. Alexandro amiciſſimum dicit, & ab eo creatum Præfectum prætorio. Unde Juſtinianus Papinianum ſplendidiſſimum vocat, ſubtiliſſimum, acutiſſimum, maximum Præfectorum prætorio in *procem. ff.* ejuſque memoriam in æternum manere jubet, & manebit etiam æternum, dum erit honos pietatis, & cultus juſtitiæ. Dies me deficeret, ſi vellem ſingulos enumerare, ſi vellem enumerare ſingulorum honores, ſingulorum gloriam, & magnificentiam. Res eſt notiſſima. Sed id tantum requiritur, ut nos inſiſtamus iiſdem veſtigiis, quibus illi graſſati ſunt ad immortalitatem, qui opinionem præcellentium virtutum, præcellentis doctrinæ in ſempiternam omnium gentium tranſmiſerunt memoriam. Evolvamus aſſiduis & indefeſſis laboribus eorum monumenta, quæ Juſtinianus tam glorioſo conſilio vindicavit à tineis, & amplectamur illam omnium artium reginam & dominam juriſprudentiam, ſi velimus verſari in oculis Reipub. ſi ſummos & magnificentiſſimos affectemus honores. Sola juriſprudentia largitur honores. Sola plurimas gratias, firmiſſimas amicitias, maxima hominum ſtudia parit, & ingentem magiſtratuum, Regum, & Principum favorem conciliat. Annitimini, Auditores, ſi deſideratis admitti ad dignitates ampliſſimas, ad decus, ad gloriam. Quæſo, annitimi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

timini. Dii omnia vendunt indefeſſis laboribus, & indefeſſis laboribus evadetis doctiſſimi. Si ad magna properetis, ad regimen civitatis, ad regimen provinciæ, ad pacis, & belli, & multarum rerum arbitrium, juriſprudentiam, dum eſt tempus, ediſcite, juriſprudentiam tot commodis, tot honoribus, tot ornamentis conſpicuam; & cum vitæ hujus iter ſit citatiſſimum plane, tempus illud ipſum, quod nonnulli conviviis, nonnulli Baccho, aut Veneri, nonnulli pilæ, vel aleæ non erubeſcunt impendere, totum vos ad hoc ſtudium recolendum abſumite, non abſimiles Socrati, qui, cum temporis fugam revocaret ad animum, ſtabat perdius & pernox à ſummo ſolis exortu ad ſolem alterum orientem, non abſimiles Juliano fortiſſimo Principi, qui etiam tum, cum Alemannis, cum Gotthis, cum Perſis formidoloſiſſimum bellum inferret, media nocte nihilominus non e ſtragulis ſericis, non e plumis, aut culcitris, ſed e viliſſimo tapete ſemper exurgens bonarum artium ſtudiis ſolebat incumbere. Nec vos avertat hujus ſtudii difficultas, ſed animum firmate conſtantibus exemplis; foret enim turpiſſimum, ut cum Philoſophi ætatem inter experimenta conſumant, & in excelſiſſimi montis cacumine conſeneſcant, ut aſtrorum cœlique motus poſſint deprehendere, vos in ipſo limine ſtatim deficere, & cruda adhuc ſtudia in forum propellere. Pauliſper laborandum eſt. Nihil enim tam difficile, tam excellens, tam arduum, quo labor & ſtudium eniti non poſſit. Laborem gloriæ parentem eſſe dixit Euripides, ut & apud Ciceronem id ſignificat Craſſus vir eloquentiſſimus. Quærenti enim Cottæ, quid ad eloquentiam comparandam requiri exiſtimaret, *Quid cenſes*, inquit, *Cotta, niſi ſtudium & amoris quendam ardorem, ſine quo cum in omni vita nihil quicquam egregium, tum certe quod expetis, nemo mortalium unquam aſſequetur*. Difficilia, quæ pulchra, ut nemo veſtrum ignorat. Et hæc ipſa tamen difficultas ſuperabitur facile, ſi ſecuti meum conſilium literaturam & hiſtorias cum juriſpru-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

dentia non negligatis conjungere: Dico literaturam & hiſtorias: non ut ediſcatis antiquiſſimas fabulas, aut quid Æneas in Italia, quid Priamus in Troja, quid Bacchus in India perpetraverint videatis, ſed ut ſimul & imitemini virorum excellentium res egregie geſtas, & ut ita loquamini, ut Romani locuti ſunt, & ut Romanorum antiquitates, ex quibus multa debent peti, ut poſſint leges intelligi, cognoſcatis exactius. Quid enim ineptius, quam ut idcirco evolvatis hiſtorias, ut quæratis eorum nomina, qui fuerunt abditi equo Trojano, ut quæratis eorum nomina, qui fuerunt in itinere ſocii Ulyſſis, ut quæratis, quos ex iis Polyphemus devoraverit, quos vero Læſtrygones, ut quæratis, utrum Ulyſſes in freto Siculo tempeſtate jactatus ſit, an Oceanum ingreſſus extra Gades navigaverit, ut quæratis, utrum Heroës carnes olim aſſas, an elixas comederint, ut quæratis, utrum Hercules tam monſtroſæ libidinis, ut quinquaginta Theſpii filias una nocte ſtupraverit, an quinquaginta demum noctibus, quia erant quinquaginta, hoc ipſum perfecerit? Semper illud Criticorum ignobile ſtudium eſt, & hominum otio laborantium ſuperflua diligentia, qui in ſupputando uno anno aut conſule annum unum aut alterum collocare non erubeſcunt. Qui totos dies nihil aliud, quam ſyllabarum minutias inculcant diſcipulis. Qui operæ pretium ſe arbitrantur feciſſe, ſi quantum temporis inter Æneam & Romulum interceſſerit, imperitis narraverint. Qui operæ pretium ſe arbitrantur feciſſe, ſi totum librum ediderint, ut Attejus philologus, *An revera etiam Æneas Didonem amaverit.* Qui operæ pretium ſe arbitrantur feciſſe, ſi felix & divinum ejus admirentur ingenium, qui exponere potuerit, cur dicat Virgilius:

Quem ſuper ingens
Porta tonat cœli:

Ajunt enim Ennium illam phraſin ex Homero, & ex Ennio eam iterum tranſtuliſſe Virgilium, fatuis ſimiles, qui ſpreto

arbo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

arboris pretioſiſſimæ fructu florum amœnitate ſe recreare contenti ſunt. Qui putant ſe feciſſe rem omnino inſignem, & digniſſimam omni ſeculorum memoria, ſi libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit, minor Helena, an Hecuba fuerit, utra manus Veneris à Diomede vulnerata ſit, dextra, an ſiniſtra, & Homerus utrum Smyrnæus, an Colophonius dicendus ſit, magno verborum ſtrepitu ſubtiliſſime diſputaverint, quo ſcilicet plura ſcire videantur, ut ipſis quidem videtur, noſtro vero judicio, oſtentatione vana, quo cæteris nihil ſcire videantur. Quæ enim hæc eſt ſcientia, quæ ſibi modum non ſtatuit? quæ in tanta temporis egeſtate neceſſariis omiſſis viliſſimarum rerum notitiam adfert? quæ debilitat generoſam indolem conjectam in tam deridendas argutias? quæ inſerendis, delendis, aut immutandis his aut illis literis aut ſyllabis ſuperbos, ineptos, & arrogantiſſimos homines efficit. Qui dum frivolis quibuſdam ineptiis tumentes cervice tam tumida gradiuntur glorioſi, dum frivolis quibuſdam ineptiis tumentes magnum & memorabile nomen affectant, accuſant, quod faciunt, & in ſemetipſos diſerti in aliorum vitia invehuntur. Parturiunt, quod peperere, habent artificium, quo prius perſuadent, quam edoceant; primo cum audieris, haud ante gnarus, quid naſcatur, grande aliquid animo volvas, at cum intraveris, medius fidius, Dii, Deæque, quam nihil in medio invenias: literulæ mutatio eſt, aut ſyllabæ tranſpoſitio, aut in optimum quemq; convicium aliquod. Ab ejuſmodi ſtudio vos totos avertite, qui viam affectatis ad juriſprudentiam. Nec emendandis aut, ut verius dicam, corrumpendis ſcriptoribus toti incumbite. Satis jam emendatum eſt, & ut fatentur illi ipſi, qui criſin exercent, ſine libris manuſcriptis ſi

Guil. Forner. 2. Select. 18.

At nos tyrones tam callidum veteratorum conſilium non aſſequimur, quibus ſimplex docendi juris

via & ratio magis probatur, quam audaces ferulaque dignas legum emendatrices manus ſynceris & integris locis corrumpendis admovere.

facta ſit emendatio, poteſt contemni, cum conjecturas ex ingenio ſi velimus admittere, nemo non paulo doctior, nemo non ruſticus, & non deſtitutus ingenio, quod jam optime ſcriptum eſt, tentabit evertere. Et evertunt juriſprudentiam, qui ex ſuo ingenio eam volunt corrigere, qui ſubſtituunt, qui delent, qui ex quolibet quidlibet, prout ipſis eſt commodum, conantur efficere. Nec ego ſolus hæc dico, ſed mecum etiam dicit Gallicorum interpretum longe eruditiſſimus, & Princeps practicorum Carolus Molinæus, qui damnat ad *conſuet. Aurel.* & in *extricatione labyrinthi*

Art. 31.

n. 100. temeritatem interpretum, qui verba audent immutare, ut habeant, ita, quod ſentiunt. *Tam ſacræ ſunt*, inquit, *& inviolabiles ſingulæ legum literæ, ut nec ſenſu ſervato eas lædi oporteat.* Digni ſunt flagris, digni ſunt ſcutica, & inſigni illo elogio, Μὴ κακούργει τὴν νομικὴν, dixit Cujacius contra Hotomannum, qui contra fidem exemplarium negationem audent apponere in *l. frater à fratre ff. de cond. ind.* Quapropter tranſcurrite ſolertiſſimas illas nugas, & ſcriptores evolvite, quemadmodum dixi, ut & ſimul imitemini virorum excellentium res geſtas egregie, & ut ita loquamini, ut Romani locuti ſunt, & ut melius intelligatis difficillimas leges, quæ aliunde, quam ex antiquitatibus explicari non poſſunt. Quis enim ignorat, quam turpiter hallucinati ſint interpretes veteres, cum ſine notitia Romanarum antiquitatum ad juriſprudentiam tractandam accederent, literaturam & hiſtorias veteres ne à limine quidem ſalutare dignati, quorum ingeniis & inaniſſimis interpretationibus, fraudis autem & ſtultitiæ pleniſſimis limitationibus multa præclariſſime legibus conſtituta, corrupta ſunt artificio quodam pernicioſiſſimo, quod in quadam barbarie & ingenti di-

Vid. Amaya lib 2. *obſ. cap.* 1.

ſtinctio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

ſtinctionum multitudine occupatum denſiſſimam non ſolum ſtudioſis caliginem, verum etiam celeberrimis, qui poſtea claruerunt, juris Anteceſſoribus excitavit, quod dolendum eſt, difficultates inextricabiles. Meruere laudem per omnium ſeculorum memoriam Paulus, Ulpianus, & Antiſtius Labeo, quod cum non tantum de judiciis, de matrimoniis, de divortiis, de tutelis, de jure dotium, de teſtamentis, & hereditatibus diſſerendum exiſteret, verum etiam de magiſtratibus, de colonis, de cenſibus, de Cæſarianis, de Palatinis, de cohortalibus, de libellorum magiſtris, de ſcholis fabricenſium, de curſoribus, decanis lampadariis, decurionibus, & municipiis, de vi & ſignificatione verborum tam egregie calluerint rerum vim, & quarumcunque dictionum ac vocum originem, ut hac inprimis ſcientia difficillimas & intricatiſſimas quæſtiones deciderint. Sed diſceſſerunt ab illo tam laudabili ſtudio, qui avorum memoria tenuere principatum in jure Romanorum tam immani vecordia, ut in obtrectationem meliorum literarum adacti præcipites neminem exiſtimaverint eſſe juriſperitum, niſi infeſtiſſimum Latinitatis inimicum & hoſtem, ſcriptoribus claſſicis & æternitate digniſſimis aqua & igni interdicere ſoliti, ſuo interim judicio tam magni nihilominus, tam clari, & illuſtres, ut ad Fabii fornicem caput etiam facillime poſſent ſubmittere. Quorum projectam & proſtitutam proterviam hodieque non pauci æmulari non erubeſcunt, qui Advocati, Jureconſulti, cauſarum patroni, celeberrimi, conſultiſſimi, eloquentiſſimi, omnia audiunt, ſi libellos poſſint inſtruere ſolennibus formulis, ſi edocti barbariem, peroſi elegantiam, Panormitanum, Accurſium, Lucam de Penna, Andream de Iſernia, Jacobum de Belviſo, Jacobinum de S. Georgio, Raphaelem Fulgoſium, Raphaelem Cumanum, Alexandrum Imolam, & cæteros ejuſmodi ſemi juriſconſultos in deliciis habeant, ſcriptoribus cæteris ne per tranſennam quidem vel leviſſime ſalutatis, ſi recentes à libellis & cauſarum actionibus Priſciano iden-

identidem vulnus infligant, ſi ſuaviloquentia ſe fingant offendi, cum interim nullum niſi barbarum, nullum niſi putidum, & exoletum vocabulum poſſint percipere, ſi ſupercilioſi ſuperbe mentiantur ſcire ſe omnia, cum interim cauſis & formulis agitati ad inediam veluti Jovis ignibus ictiad claſſicorum auctorum eloquentiam ſtupeant. Vereor omnino, ne plura dicam in rabulas & togatos vulturios, infantiſſimos homines, quam modeſtis hominibus vel audire vacet, vel libeat, licet aliis etiam longe remiſſius, quam res ipſa poſtulat, poſſim videri moviſſe ſtomachum proterviſſimis mortalium, qui omnis generis literarum volunt agere cenſuram, & quadam inuſitata non ſolum petulantia, verum etiam admirabili & incredibili ſtultitia probatiſſimos & præſtantiſſimos ab omni ſeculorum memoria ſcriptores nihil ad ſapientiam, nihil ad farinam conferre deprædicant. Audiant Duarenum, qui ſine ceteris bonarum artium ſtudiis cęcam & mancam eſſe dixit juriſprudentiam. Audiant Fornerium, cui fuit religio in juris comitiis hiſtoricos veteres veluti ſexagenarios de ponte dejicere. Audiant Joh. Fabrum, qui ICtos bonarum artium ignaros vili omnino & contumelioſo vocabulo ſimplices legiſtas non dubitat dicere. Audiant Cujacium, qui ſæpiſſime queritur, quod magnis etiam ſtipendiis Juriſprudentiam profeſſi ob ingentem ſocordiam, & intolerabilem ignorantiam tam parum profecerint, ut impingant identidem in leges, in quibus latet eruditio recondita. Audiant Mornacium virum eruditiſſimum, qui non aliter admittit eum, qui contendit ad adyta Themidis, quam ſi prius ſe inſtruxerit Græcis Romaniſque literarum viaticis: ut enim, inquit, qui volunt purpuram pretioſiſſimam facere, lanam prius medica-

Duar. 1. diſp. 54. & 2. diſp. 7. Rad. Forner. 1. rer. quot. 4. in fin. Ioh. Fab. ad §. item pretium Inſt. de empt. vend. Vid. Cujac. lib. 2. obſ. cap. 6. & 21. obſ. 10. Pet. Fabr. 2. Semeſt. 2. pr. Mornac. ad l. 1. ff. de juſt. & jur.

men-

mentis quibuſdam inficiunt, ſic etiam qui animum ad ediſcendam juriſprudentiam, & ingentem illam ſapientiam, quæ continetur in Digeſtis, volunt appellere, doctrinis, & literis, humanitatis, & bonarum artium ſtudiis oportet prius inſtitui. Audiant Catonem omnibus ſuis numeris abſolutiſſimum ICtum, & Senatorem Romanum, qui ut inſatiabilem literarum & artium ſitim expleret, Græcorum artes etiam ſenex agens octuageſimum annum addidicit. Quæſo attendant, quæſo hinc diſcant ſuo quidem judicio Conſultiſſimi homines, qui identidem clamitant, *Græca ſunt, non leguntur*, quam neceſſaria, quam utilis, quam fructuoſa ſit ICto Græcæ linguæ ſcientia, ut non dicam de Novellis, & centum præterea reſcriptis Imperatorum, quæ habentur in Codice, Græce primum ab iiſdem in lucem emiſſis, quæ non minus egregie Conſultiſſimi illi homines intelligere poſſunt, quam in lege Pompeja quid *gallus gallinaceus* differat a gallo, quo eunuchum intelligimus, intellexit Accurſius. Verum quid iis facias, qui *membrum* a *metior*, & a *falcando* legem Falcidiam, non ab eo, qui tulit eam, *P. Falcidio* derivandam eſſe contendunt, qui *jus coquorum* a *jure prætorio* diſtinguere neſciunt, qui *condictionem Triticariam* a Triticio quodam monacho nominatam exiſtimant, qui per Orationem Divi Marci S. Marci Euangeliſtę preces intelligunt, cujuſmodi Advocatum adhuc hodie in Galliis eſſe teſtatur Menagius. Quare ſi ſecuti inſcitiam Jodoci Loveringi Mechliniæ Præſidis exiſtiment neminem vel unius legis intelligentiam conſecuturum, ſi quicquam didicerit in melioribus literis, ſi iis omiſſis ſe Conſultiſſimos intra tempus breviſſimum evaſiſſe clamaverint, gaudeant in ſinu, glorioſe loquantur, & Juriſprudentiam rem omnino ſanctiſſimam illotis, & turpiſſimis manibus ſe contrectare non ſentiant, imo etiam digito cœlum ſe credant attingere, res ipſa tamen clamitabit æternum eos ab unguiculis ad ſummum verticem ex vaniſſimo verborum ſtrepitu, juris civilis, & re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

rum pulcherrimarum ignorantia concretos, dum enormi loquacitate nihil agunt aliud, cum venerunt in forum, quam ut ad miraculum Doctorum phalanges, canoniſtas, legiſtas, ciſmontanos, & ultramontanos, Cæſios, Aquinos, Suffenos, & centum præterea verba ſeſquipedalia proferant in medium, quibus illi non modo plebejos & ruſticos, verum etiam primarios homines literarum ignaros admiratione ſe defigere putant, quaſi oracula, quaſi quædam arcana ſapientiæ funderent ex altiſſima mente. Nequeo verbis conſequi Aud. intolerandam eorum proterviam, qui in bibliothecis ſolent aperire ſexcenta volumina, quaſi ad ſpeciem operoſiſſimi ſtudii, qui quicquid aſſequi ſe poſſe deſperant, quicquid diſcere jam piget, quicquid pudet eos non didiciſſe viridantibus annis, illud ipſum deridere, damnare, violare ſibi permittunt, qui invidere ſoliti literatiſſimis doctrinarum & artium gloriam, ſecum etiam cæteros ad eaſdem quiſquilias, deformem & impurum ſermonis habitum connituntur deducere, ut educati apud Cimmerios, barbariſque ſermonibus & literis eruditi probatiſſimos ſcriptores capitaliter oderint, & eliminandos è Repub. cenſeant. Quæſo liceat mirari illorum hominum deteſtandam vecordiam, qui rerum divinarum & humanarum ſcientiam, omnemque juſti & injuſti notitiam cancellis illis forenſibus circumſcriptam exiſtimant, qui ſeveriorum graviorumque ſtudiorum fundamenta ſe lucrifacere maxima quæque protinus aggrediendo putantes tantam & tam ingentem ſapientiæ molem citra cognitionem ullam antiquitatis commodiſſime ſe poſſe percipere gloriantur. Quorum nonnulli indolem rerum plurimarum capaciſſimam nacti non ſolum in curſu, verum etiam a carceribus ipſis revocantur, renuentibus amicis, & exclamantibus, Ohe, jam ſatis eſt; migrandum ad leges & quærenda pecunia primum eſt. Cætera poſt nummos. Quo, quæſo, quid indignius poteſt dici vel fieri? Olim Romani ſapientiſſimi

mi mortalium liberos educabant accuratiſſima diligentia, & gradatim deducebant ad rerum divinarum & humanarum ſcientiam, nec ſtudia tantum curaſque, ſed remiſſiones etiam luſuſque adoleſcentium temperabant ſanctitate quadam, honeſtate, & verecundia. Sic Corneliam Gracchorum, ſic Aureliam Cæſaris, ſic Attiam Auguſti matrem præfuiſſe educationibus, ac produxiſſe principes liberos accepimus. Sed liberi corrumpuntur jam execrabili parentum & amicorũ ſocordia, ſic ut rerum pulcherimarum amor & ſtudium pauciſſimis hodie velut prædæ remanſerit. Ubi jam impetus, & ardor in ſtudia? Ubi jam labor, & indefeſſa diligentia? Ubi ſapientiæ conſultiſſima via? Quis unquam in templum venit, ac Deum immortalem ſupplex veneratur, ſi pervenerit ad ſapientiam, ſi pervenerit ad ſolidam & omnibus ſuis numeris abſolutam ſcientiam? Quis ſi bonarum artium fontes invenerit? Et quid dico de fontibus, ne bonam quidem mentem, aut bonam valetudinẽ a Deo deſiderant, ſed educati tam negligenter, tam fœde, tam turpiter, nummos tantum & aurum, ebur, & marmora, opes Attalicas, & libertinas divitias ſummis votis exoptant. Parentes enim ſi filiis frena laxaverint, ſi riſu & oſculis excipiant verba ne Alexandrinis quidẽ permittenda deliciis, ſi non curent, quemadmodum dent literis operam, liberi etiam non curant, quemadmodum ſtudeant, bene utrum an male, nec decus, aut laudes, aut honores, aut gloriam, aut magnum & memorabile nomen affectant, ſed ludos, jocos, convivia cogitantes fœdiſſimis voluptatibus vitam tranſigunt veluti pecora, quæ natura prona, & ventri obedientia finxit. Quos autem virtutum egregios fructus laturum eum animum ſperare liceat, qui ab ultima pueritiæ memoria voluptatibus fractus vitiorum omnium ſervus fuit? Quid non ætatis progreſſu concupiſcet, cujus infantiam parentes purpura, pupillarem ætatem ſericis aut holoſericis veſtibus exornant? Quam in adoleſcentia præſtabit temperantiam, quem adhuc puerum deli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

delicatiſſimis epulis & præſtantiſſimis obſoniis alunt? Torpent inde plerorumque ingenia, nec in ullo honeſtæ rei ſtudio vigilatur. Somnus, languorque, ac ſomno & languore turpior malarum rerum induſtria invadit animos. Cantandi ſaltandique obſcœno ſtudio claſſem ducere, mollitie corporis certare cum fœminis, ac immundiſſimis ſe excolere munditiis noſtrorum tunc adoleſcentium ſpecimen eſt. Quid enim eos commemorem, quorum palatum niſi ad pretioſiſſima vina non excitatur, qui valere juſſis ſtudiorum præſidiis in popinis & ganeis dies noctesque volutati tenerrimis cogitationibus animi marcentis torporem oblectant, qui ſtrage animalium & captura piſcium ab ultimo portatorum Oceano corpora propter intolerandam ignaviam pallentia ſaginant, qui edunt ut vomant, vomunt ut edant, & epulas, quas toto Belgio conquirunt, nec concoquere dignantur, qui promoti ad Academiam aut occupantur inter pectinem & ſpeculum, aut inter Bacchum & Cererem, vel potius inter Bacchum & Venerem otioſi & deſides pro libro cantharum, pro Codice fiſtulam capiunt, & heſterna crapula graves nec ſolem orientem, nec occidentem aſpiciunt; tantum abeſt, ut vel in indagandis quæſtionibus juris, vel in evolvenda antiquitate, vel in notitiam aut rerum, aut hominum, aut temporum oleum & operam dignentur inſumere. Quotumquemque enim inter eos invenias, qui vel domi quicquam aliud quam de poculis loquatur, in triclinio primus, in Muſæo poſtremus, ſegnis ad ſtudia; ſtrenuus ad ſcyphos, expers amoris in Minervam & Themidem, ſed pronus ac promtus in ſcortum & meretricem? Quid enim agerent quæſo glorioſum tam negligenter a parentibus habiti, ad quorum ſtudia parentes noluerunt attendere, quos una tantum imbuerunt divitiarum cupidine? Sane ſiquid agant, agunt nihil aliud, quam ut ubi procuratorum inſtituti ſunt formulis poſt annum unum aut alterum quaſi per ſomnũ quaſi per luſum fiant impudentiſſimi ICti. Quamvis ſi rem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

ipſam æſtimemus attentius, quotuſquiſque jam hodie ICtus, aut juriſprudentia poteſt pręditus dici? Pleriq; ſe formularios, non ICtos eſſe factos contenti finem juris civilis non ęqualitatem, non juſtitiam, pietatem, aut innocentiam credunt, ſed & lucrum, & quæſtum, & vocem meritoriam, publiceque venalem. Nec id dico propterea, quod eos omnes, qui feliciter jam praxin exercent, a calvo ad calvum una, quod ajunt, pertica metiendos exiſtimem: ſatis enim conſtat præſtare nonnullos officia advocationum ſummis cum laudibus, qui eo nomine magnum & incomparabile nomen adepti ad dignitates ampliſſimas, ad ſummos & magnificentiſſimos evaſerunt honores, qui & domi celebrantur ut oracula civitatis, & egreſſi in publicum maximam circa ſe habent litigatorum frequentiam. Sed id dico idcirco, quod ſplendor hic honeſtiſſimus obſcuretur, & obruatur turpiſſimis ſordibus, & execrandis illorum nundinationibus, qui non advocationis honorarium quærunt, ſed protervi & ignorantes æſtimare chartulatim operarum mercedem, & efflagitare procaciſſime ſolent. Quorum inventum illud profecto fructuoſiſſimum togatis vulturiis, ſcribere libellum trientalibus literis, & ſeſquipedalibus regularum interſtitiis, ſcilicet ut eo clarius litigantium jus & ipſius cauſæ juſtitiam intelligere poſſint illi, qui præſunt tribunalibus. Sane qui hunc unum advocationis ſuæ fructum exiſtimant, quemadmodum illi, quæſo, probare ſe poterunt juris civilis eſſe ſtudioſiſſimos, quibus ubi Bartolum, aut Baldum ademeris ad infantiam redactos ne hiſcere quidem propter omnium fere rerum ignorantiam videbis, cum interim nihilominus ſuperbiſſimi mortalium ridiculos & infeliciſſimos eos exiſtiment, qui omnem ſuam operam in evolvendis hiſtoriis, & rerum præſtantiſſimarum memoria conſumunt. Fatigentur, ajunt, ad inediam venuſtiſſimi homines, qui evolvunt hiſtorias. Quid autem nobis cum Latinitate? quid cum hiſtoriis? quid cum elegantia, aut me-

melioribus literis? Nobis *gerra*, vel *treuga*, vel *bannum*, aut *laudum* diſplicere non poteſt, licet illi dicant hæc non eſſe Latina, licet illi malint dicere, *bellum*, *inducias*, *exilium*, *arbitrium*. Quod illi *deſcribere*, nos *exemplare*, quod illi *exemplum*, nos vulgo *copiam*, quod illi appellant *exemplum recognitum*, nos *exemplatum*, aut *collationatum* appellare ſolemus. Quid nobis cum ejuſmodi verborum elegantiis? Quæſumus, apage ſermonis iſtas lautitias, quæ neminem unquam fecerunt opulentiſſimum. Quaſi vero, quaſi vero divitiæ beatiſſimum hominem poſſint efficere, ac non plurimarum rerum notitia potius, quæ in arduis fortiſſimum, in agendo cautiſſimum, in diſſerendo ſubtilem & acutiſſimum efficit. Rectiſſime dixit Imp. Theodoſius inter cæteras virtutes literaturam eſſe maximi nominis: eſt enim veriſſimum, quod alibi retulit vir eminentiſſimæ eruditionis Cujacius, hominis imperiti nullum majus argumentum eſſe, quam ſi literaturam, quam ipſe non intelligit, damnandam exiſtimet. Et tamen hac ætate, qua magnis iterum paſſibus itur ad barbariem, quam frequens illud verbum eſt: *Ita jam practicatur: Sic ſtylus eſt Curiæ.* Cauſantur jam omnes, ſed inprimis ignorantes, in ſubtilitatibus jus Romanum conſiſtere, non eſſe literaturam & hiſtorias de pane lucrando, ſine ullis hiſtoriis juriſprudentiam addiſci commodiſſime: ſi ſint leges ejuſmodi, quæ aliunde quam ex antiquitatibus explicari non poſſunt, ut omnino inutiles, & nimiæ ſubtilitatis eas ſtatim rejiciunt, & identidem clamitant, ſpectari jam æquitatem, nec moribus hodiernis ſubtilitates admitti. Siquid eſt, quod diſpliceat, id appellatur ſubtilitas. Imo quicquid non capiunt, aut non ſunt edocti, aut non poſſunt percipere ſuo illo tam

l. 2. C. Th. de decur. urb. Rom.

Cuj. lib. 2. obſ. c. 10.

tam admirando & excellenti ingenio, id appellatur ſubtilitas. Profecto, ſi roges, quid eſt ergo ſubtilitas? Abibunt aut taciti, quia ſunt ignorantes, aut reſpondebunt vix aliud, quam ſubtilitatem eſſe, quicquid ipſi non capiunt, aut ut oſtendant etiam ſubtilitatem ingenii, ſubtilitatem eſſe, cui ratio repugnat; mores autem non aliter jus Romanum admittere, quam quatenus non eſt id rationi contrarium. Et hi quidem videntur ita loqui veriſſime, ſed revera nihilominus jus conſtitutum evertunt, dum per rationem intelligunt, quicquid eſt ipſorum opinioni contrarium. Et hinc omnes illæ lachrymæ, dum unum idemque ab hoc exiſtimatur rationi conveniens, ab illo contrarium, prout hujus aut illius perverſiſſima ratio id poteſt percipere. An non hinc etiam reperiuntur deciſiones tam variæ? Quod vivamus non jure, ſed ingeniis judicantium? Quod non omnia ratione, ſed hominum opinione videantur conſtitui? An non hinc illa verba: *Si non ita ſit conſtitutum, ita debet conſtitui?* An non hinc apud veteres Theodorus philoſophus furtum & ſacrilegium, ſtuprum & adulterium arbitratus eſt licita? An non hinc apud Perſas, & apud Turcas adhuc hodie rem habere cum filia non videtur illicitum? Siquis velit dicere, adduci id perperã, quia nemo non videt id rationi contrarium. Concedo, ſed apud Perſas, & apud Turcas adhuc hodie videtur id ſummopere rationi conveniens, ut is, qui ſevit arborem, primus etiam illius arboris fructus percipiat. Nihil eſt tam impium, nihil tam ſceleſtum, tam fœdum, aut atrox, quod ratione defendi, aut excuſari non poſſit. An non hinc fit inprimis, quod tam multi ſint hodie, qui abutuntur ratione ſua, qui non dicam bonis literis, ſed jure Romanorum vix ſalutato à limi-

σοφὸν κλέψειν τε, καὶ μοιχεύσειν, καὶ ἱεροσυλήσειν ἐν καιρῷ. μηδὲν γὰρ εἶναι τούτων αἰσχρὸν φύσει, ut eſt apud Laert. in Ariſtipp. *lib. 1. de vit. phil.*

ne

ne cruda adhuc ſtudia propellunt in forum. Siquis velit dicere; Profeſſorum hæc culpa eſt, qui rudes & imperitos ad examen admittunt, & admiſſis dant teſtimonium nullo facto diſcrimine, non animadvertit, quam non ſit hoc totum Profeſſorum in manu. Siquis diſſentiat, & imperitum ab examine rejiciendum exiſtimet, erit alius, qui putabit admittendum nihilominus, in cujus ſententiam ſi plures diſceſſerint ex Profeſſorum collegio, quid aget diſſentiens? Vincunt ſemper in collegiis plura ſuffragia. Et illi tamen non peccant, qui admittunt nihilominus. Quid enim proficerent, ſi petentem repellerent, ſi vellent eſſe moroſi, & admodum rigidi? An non paſſus repulſam conferret ſe in Galliam, aut in aliud Athenæum ad impetrandos honores? An ita jam efficerent, ne rudes & imperiti crearentur Doctores? Culpa eorum eſſet, ſi conſpirarent Academiæ, & neminem, niſi doctum, & peritum admitterent. Jam inprimis eſt culpa eorum, qui hoſtes ſunt literaturæ, & cæterarum bonarum artium. Culpa parentum eſt, qui nolunt ſuos liberos ſevera lege proficere. Culpa eorum eſt, qui juri Romano non eam exhibent reverentiam, ut cauſam ſemper ex eo decidendam exiſtiment, ſi ſtatuta deficiant. Id autem cum jam olim ſtudentium animis prorſus inſederit, jus civile nimirum, cum venerunt in forum, non attendi magnopere. Quid opus eſt, ajunt, ut multum vexemur tam inutili ſtudio? Quicquid jam diſcimus, dediſcendum eſt iterum, aut ſaltem non erit uſui? Dimiſſi à Profeſſoribus adhuc nihil profecimus. Incumbendum eſt praxi, & diſcendum, quod obtinet. Quaſi vero, praxin Profeſſores non doceant. Quaſi praxis quicquam ſit aliud, quam juris ſcientiam applicare negotiis. Jus autem quicquam aliud, quam id quod continetur aut in jure Romanorum, aut provinciarum, aut urbium, aut regionum ſtatutis. Sunt tamen tam ignorantes. Sunt tamen tam ſtulti, tam imperiti, tam fatui, ut per praxin nihil aliud, quam modum proceden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

cedendi intelligendum exiſtiment, & exemplo propterea perniciosiſſimo ſtudioſis autores ſunt, ne juri daturi operam ſimul etiam formulas procuratorum excipiant. Quaſi vero ſint practici, qui noverunt tot formulas. Quaſi vero ſint practici, qui habent & litigandi & agendi peritiam. Multi ſunt ruſtici, qui habent illam peritiam, ergo & illi ſint jure optimo practici. Non ſolæ ſunt formulæ, mihi credite juvenes, non ſolæ ſunt formulæ, quæ Advocatum efficiunt. Procuratores glorientur,& ſuperbiant formulis. Majus aliquid ab Advocato requiritur, & id quod concernit ipſius cauſæ juſtitiam. Quis praxin exercet? Praxin exercet, qui eſt Juriſconſultus, & exercet juſtitiam. Juriſconſultus eſt, qui jus eſt edoctus. Jus eſt vel civile,vel id quod continetur in regionum ſtatutis. Jus autem civile,quemadmodū dixi, nemo ſatis intelliget,niſi etiam exactiſſimam totius antiquitatis comparavit notitiam. Quod ſi pluribus verbis demonſtrare contendam,viris eruditiſſimis in re minime dubia laborare videbor. Addam tantum hoc unicum,eos,qui in aliam diſcedunt ſententiam,ne ſcire quidem,quibus ex fontibus jus civile profluxerit. Quod ſi ex Romanorum ſapientiſſimi populi inſtitutis & legibus, ſi ex commentariis Caji, Pauli, Modeſtini, & Ulpiani fateantur eſſe profectum, neceſſario ſequitur, ut hoc quoque concedant ei,qui in jure civili non ſolum cum fructu,verum etiam cum animi quadam oblectatione collocare velit induſtriam,ſimul etiam comparandam eſſe antiquitatis notitiam, ne eandem alioquin experiatur fortunam, quam expertus eſt olim proavorum memoria Lucas de Penna, quem auſum ſine ſubſidio literarum & bonarum artium commentari in Codicem, errorum & ineptiarum amaxarium ingentem

Cuj. ad l. 4. C. de veſt. holov. appellavit Cujacius. Qui idcirco etiam Accurſium, quem alibi Latinis Græciſque interpretibus omnibus *Idem lib. 4 obſ. cap. 3.* præferendum exiſtimaverat, ſemi juriſconſultum appellare non dubitat. Bartolum autem legum lucernam, & conſummariſſimum juris interpretem tum *Cuj. 12. obſ. cap. 16.* temporis nuncupatum, poſtponendum nihilominus judicavit Accurſio, eo quod Accurſius altius quam Bartolus in cæteras artes & humanitatem penetraverat. Quamvis, ut verum fatear, excuſandi ſint veteres, quod inciderint in illa tempora, quibus literatura nondum erat in pretio. Cum enim in Italiam Vandali, Alani, Hunni, Gotthi, & Longobardi, homines in rerum pulcherrinarum exitia procreati, patrias ſuas leges & conſuetudines intuliſſent, ſtudia bonarum artium conceſſa mortalibus, ut uſibus divinis pariter & humanis ſervirent, ruere in pejus, & fœdiſſimo lapſu ab iſta vetere gloria cœperunt deſciſcere, adeo ut & ipſum juſtitiæ templum, quod erexerant aſſiduis & indefeſſis laboribus eloquentiſſimi legum Anteceſſores, quos cœlo ac æternæ memoriæ ſua fama tranſcripſit, per Herulorum ſceleratam audaciam, Gotthorum invidiam, Vandalorum contemtum, & inſanam Hunnorum Avarumque barbariem ſquallorem contraxerit, ac ſordidiſſimam faciem, ut nec pulcherrimis conſiliis Imp. Lotharii, nec ſuccedentium ſeculorum diligentiſſimis ſtudiis pleniſſime tandem reparari potuerit. Quæ cum ita ſe habeant omnes, qui jam juriſprudentiæ daturi ſunt operam, ſimul literaturam & humanitatem ne graventur addiſcere. Veniet aliquando dies ille lætiſſimus, quo admiſſi ad dignitates, conſecuti maxima & excellentiſſima virtutum præmia, cumulatiſſime præceptoribus relaturi ſunt gratiam. Irriſit Antonius vir eloquentiſſimus Ictum

ſine

ſine facundia, quem ipſum per ſe nihil eſſe dicit, niſi formularium, niſi legulejum acutum & cautum. Parlamenta ſuprema nonnunquam rejiciunt Doctorum ineptias, nonnunquam omittunt communes ſententias, ſed quotieſcunque ſe offert occaſio, adhibitis melioribus literis, ſequuntur doctrinam in Academiis receptam, dicit Maynardus Senatus Tholoſani Aſſeſſor Ampliſſimus. Quod ſiquis nihilominus ex forenſibus rabulis cum riſu hæc audiat, & nihil hiſtoricos ad proceſſum judicii, nihil ad litem, aut ad cauſam decidendam vociferetur efficere, legat apud Mornacium diſertiſſimum fori Pariſienſis cauſidicum, *Mornac. ad l. un. ff. de off. Quæſt.* quam interdum neceſſe ſit, ut deſumatur ex hiſtoriis ad litem aut controverſiam terminandam probatio. Quam multa citaverint ex veterum monumentis Ant. Atnaldus, & Pet. Martellerius advocati fortiſſimi, cum Ducis Guiſii, & Principis Condæi cauſam in foro perorarent eloquentiſſime. Quam ingentem hiſtoricorum invexerint molem Lud. Buyſſonius, & Claud. Duretus in palæſtra forenſi exercitatiſſimi in cauſa quadam celebri inter Duces Luxemburgium & Eſpernonium agitata. *Vidi ſemper*, inquit Mornacius, *hunc morem probatum Senatui.* Cujus quæſo verba ſerio nos omnes revocemus ad animum, omnemque noſtram operam, curam, induſtriam in juriſprudentia, in literatura, & bonarum artium ſtudiis collocemus perpetuum. Et quamvis jam tempus ſit, ut videtur luctuoſiſſimum, quo graviſſimum patriæ denunciatur periculum, patriæ, quæ hactenus adhuc florens omnium gentium, omnium nationum oculos in ſe ſolet convertere, & extra ſe exteros ob tot bona ingentia, & in nos incredibilem divini numinis bonitatem ſolet velut ad ſtuporem adigere; quamvis jam tempus ſit, quo videtur impli-

cari, & jam jam arſurus eſt cruentiſſimis præliis univerſus orbis terrarũ; quamvis jam tempus ſit, quo Galli minantur nobis cladem, ruinam, & ſupremum excidium; quamvis ſtrepant jam omnia ferro, & armis, & micantibus gladiis; quamvis Gelria ſubacta, Tranſiſulania ſubjuncta ſit ſub Gallorum imperium, Ultrajectum redactum ſit ad ingentem vaſtitatem, & vaſtitatem ejuſmodi, ut ſiquis illud viderit, & viſurus ſit iterum, Ultrajectum in Ultrajecto jam fruſtra quæſiverit, nemo tamen de patria, nemo de Hollandia, nemo de republica deſperandum exiſtimet. Fuit etiam everſa & exciſa propemodum ſuperiore ſeculo Venetorum reſpublica, cum adverſus eam conjuraſſent non ſolum Pontifex Maximus, Maximilianus Imp. & rex Galliarum, verum etiam & hoſtes & proditores interni, cum prædatorii globi imminerent ſuburbiis, cum ſumtuoſiſſima prætoria vaſtaret incendium, cum templum Divi Marci Venetiis ſacratiſſimum quateretur tormentis, & innumerabilis multitudo dolo ſuorum civium adigeretur ad necem, reſpiravit tamen nihilominus, & emerſit ex illis malis tandem Dei beneficio, multo glorioſior. Et ita Numinis beneficio, ut & ſpero & auguror, emerget tandem Hollandia, emerget Belgium fœderatum ex hoc calamitoſo & luctuoſiſſimo ſtatu, & inſigni victoria priſtinum ſuum decus recuperabit & gloriam. Dei tantum opem imploremus aſſidue: ejus enim in manu ſunt omnia & proſpera & adverſa mortalium. Habemus hoſtes, ſat ſcio, & fortitudine metuendos, & fama terribiles, ſed Deus longe bellicoſior eſt, longe terribilior, qui & nunquam deſtituet eos, qui ejus opem ardentiſſimis precibus non deſiſtunt expoſcere. Qui & nobis conceſſit jam generoſiſſima nobilitate fulgentiſſimum Principem, clariſſimum ſydus, micans inter omnes velut inter

ignes

ignes luna minores, præclaram, & unicam ſpem Reipub. & æmulum gloriæ, qua ejus parentes, ſummi illi heroes, floruerunt omnium gentium, omnium ſeculorum, omnis memoriæ facile principes, qui victricibus armis terruerunt olim maximum & potentiſſimum regem, qui magnificentiſſimis tot trophæis erectis Rempub. quam acceperant concuſſam, attritam, & vix auſam aſſurgere, reddiderunt terribilem & formidabilem cunctis. Nil jam deſperandum prole tot fortium, & virorum inſignium, qui licet ſit juvenis, viri tamen fortiſſimi eſt præſtiturus officium, & tandem etiam exciſa illa fœda, & immani Gallorum colluvie triumphabit ſuperbiſſimum & potentiſſimum hoſtem. Sic opto, ſic auguror. Et idcirco nihilominus nos agamus, quod noſtrum eſt. Invigilemus nihilominus bonarum artium ſtudiis indeſeſſis laboribus. Conſequemur iis famam & æternam memoriam, & quod multi non credunt, conſequemur iis belli & armorum peritiam, ut habemus exemplum in Romanorum hiſtoriis, & quidem ſatis luculentum. Erat rudis rerum militarium, & imperitus Lucullus, ſed miſſus a Senatu ad Mithridaticum bellum ſtudiorum exercitiis & continuis hiſtoriarum in itinere lectionibus bellicoſiſſimus imperator in Aſiam venit, qui Roma profectus rei militaris imperitiſſimus fuerat. Teſtatur id victus, & cæſus ab eo toties rex regum Mithridates. Teſtatur id victus & ſupplex ipſi factus rex regum Tigranes, qui ſuperbiſſimo titulo ſcribebat ſe fratrem & Solis & Lunæ. Quapropter hoc agite, Præſtantiſſimi juvenes. *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.* Veniet tandem tempus, quo ſtudiis abſolutis admiſſi ad dignitates exclamabitis ſinguli: O ſuaviſſimos, o jucundiſſimos adoleſcentiæ meæ labores!

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

AD VIRUM CLARISSIMUM D. ANTONIUM MATTHÆUM,

Collegam nuper conjunctiſſimum, nunc ex ULTRAJECTINA AD LUGDUNO-BATAVAM ACADEMIAM,

Evocatum, cum ibidem Publice peroraſſet.

19. Janu. Ann. 1673.

NUm Pylades MATTHÆE, *redis? Sic linquis* Oreſtem?
Deſeris Euryalum *ſiccine*, Niſe, *tuum?*
Ah! reddant me fata tibi, tectoque ſub uno
Pandere jus Latium nos, velut ante, velint.
Trajectum *o! quoties illo pendebat ab Ore,*
Te quo verba ſtupet grandia Leida *loqui!*
Leida, *triumphantem quæ* Curru *ut* triplice *celſam*
Viderat Aſtræam, quattuor, *inquit, eant.*
Automedon *quartæ, regeret qui ſrena, quadrigæ*
Deerat adhuc, nec jam doctior alter erat,
Aut te qui, doctis & Avis & nata Parente
Progenies magno, clarior ipſe foret,
Aut ſub legifero Dux Cæſare *fortior, o! qui*
Virgine pro tantâ Cæſaris Hector *abis,*
Automedonque *venis. Fruſtrà licet antè rogatus,*
Denique non fruſtrà (magnus in arte) venis;
Et Lugdunenſem *dum ſtas dicturus ad amnem,*
Pallida tot, Rhenus quæ dolet, ora doles,
Semi-neceſque Artus Patriæ, divulſaque Membra
Terrores, gemitus, funera, tela, faces,

Quas

Quasque tulit diras Bodegravia *nupera flammas*,
Quæ jacet ad Woerdam Troja cremata *ſuam*.
At quanquam pugnante tonant nunc unda ſolumque
Auriaco, & *Batavis Mars geminatus adeſt*,
Liligerique *micant adverſa hinc fulmina* Regis,
Inde Britannorum lignea caſtra natant,
Arma tamen Laurumque Togæ *fas cedere, cujus*
Aurea cum Socio triplice *jura ſonas*.
Et jam quantus honos Batavis *clareſcit* Athenis,
Sole *vbi* quadruplici *ſic nitet una* Themis!
Quis geminum vidit cælo luceſcere Solem?
Leidæ *etiam* plures *cælitus aio dari*.

L. van de POLL,

Juris in Acad. Ultraj. Profeſſor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

ANTONII MATTHÆI ORATIO INAUGURALIS DE Juriſprudentiæ Dignitate, Et Modis Perveniendi ad Ejuſdem Faſtigium, HABITA

Lugduni Batavorum in Auditorio Majore

Ann. cIↄ Iↄ c LXXIII.

QUod precatus ſum tum temporis, cum acciperem literas Virorum Illuſtrium Curatorum hujus Academiæ, quibus me evocabant ad Profeſſionem Juridicam, ut eveniret hæc vocatio Academiæ feliciter, idem precor iterum Deum Opt. Max. die hodierno, quo novi mei muneris ſumam auſpicia, ut & cedat hæc vocatio ad nominis ſui gloriam, ad decus, ad commodum, ad incrementum Academiæ, ut inter hos formidabiles præliorum tumultus, inter hos horrendos armorum fragores, inter ferrum, rapinam, tubarumque clangorem, inter flammas, & ſanguinem, ſtragemque civitatum tamen creſcat, & floreat, & inter alias excellat, ut regina, & domina, cui nihil ſit par, & nihil etiam ſecundum. Tu alme Deus, Sol juſtitiæ, creator hujus univerſi, fons omnis bonitatis, omnis gratiæ, omnis ſapientiæ, illuſtra hanc Academiam, illuſtra ejus Curatores, illuſtra ejus Antiſtites, illuſtra ejus cives, & ſtudioſos bonarum artium, illuſtra & nos, & univerſam hanc urbem; nec metu, aut terrore malorum imminentium, o Sol juſtitiæ, animos eorum minue, qui undique confluxerunt huc ut ad forum Sapientiæ. Te, precor, confiſi, & tua incredibili vi & potentia præſtemus nos viros, præſtemus nos fortes, præſtemus nos parentibus & majoribus dignos, qui & vitam & ſanguinem profuderunt pro patria, priuſquam

quam eam eveherent ad incredibilem illam gloriam, qua jam floret & illuſtris eſt toto terrarum orbe etiam uſque ad extremos & Garamantes & Indos. Puerorum eſt ejulare. Fœminarum eſt queri, & agitari formidine, & jam jam circumſpicere quoddam fugæ latibulum. Tu Sol Juſtitiæ illuſtra nos, ut ſimus viri nihilominus inter ferrum & arma, & multo jam magis ſimus ſtudiis addicti, quæ omnibus ſeculis conciliarunt & gratiam & gloriam ingentem iis, qui coluerunt hæc indefeſſis laboribus, & inſtruxerunt etiam ad bellum, ad prælium, & ad arma, quii iis omnem ſuam operam voluerunt impendere. Illuſtra ergo hæc ſtudia, o Sol juſtitiæ, illuſtra Theologiam, illuſtra Medicinam, illuſtra Philoſophiam, ſed inprimis illuſtra, o Sol juſtitiæ, illuſtra juſtitiam, illuſtra jus & rerum divinarum, & humanarum ſcientiam, qua nihil aliud vel ad pacem præſtantius, vel ad bellum utilius, vel ad honeſtatem præclarius, vel ad utilitatem fructuoſius, vel ad dignitatem amplius, vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius Hollandiæ atque omnium provinciarum notitiam illuſtrius. Quæ redigit in ordinem tribunitios furores, redigit in ordinem gravem nimis reipub. & inviſam potentiam. Quæ hominem beatum, gravem ſincerum, incorruptum, & quadam æquitatis, majeſtatiſque, ut ita dixerim, majeſtate reverendum efficit. Quæ omnia diſponit, omnia dirigit, ad omnia ſe extendit, & quemadmodum cœli immenſitas univerſam orbis machinam ulnis complectitur, ita hæc univerſa hominum negotia æquitate & juſtitia regit & continet, adeo ut eminentiſſima Philoſophorum ingenia, cum in ejus admirationem raperentur, eam omnium mortalium & immortalium decantarint fulgentiſſimam reginam & dominam. Scio me jam dicere. Scio me dicturum, quod jam dictum eſt centies. Scio etiam, quam verum ſit illud vetus proverbium; *Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.* Verum in præſentia quid dicam jam aliud? Aut docturus juriſprudentiam quid quæſo tandem aliud quam juriſprudentiam

commen-

commendabit diſcipulis, & quæſo quid aliud extollet in cœlum, quam juris civilis incredibilem gloriam, admirabilem ſplendorem, & incomparabilem pulchritudinem, ut eo acrius accendat in iis, qui eum audiunt, amorem & affectum illum, quo ferri oportet omnes, qui ad boni & æqui aſpirant notitiam, ne amplius merſi flagitiorum conſcientia aut inter pectinem & ſpeculum de ſingulis capillis eant in conſilium, aut inter vinum & crapulam, inter Bacchum & Venerem otioſi & deſides nec ſolem orientem, nec occidentem aſpiciant, ſed invicta quadam & indefeſſa virtute ad Papiniani, Pauli, & Ulpiani famam & eruditionem conentur accedere. Dicam ergo non aliud, quam quod dictum jam olim eſt ab ingeniis celeberrimis, juriſprudentiæ eam eſſe magnitudinem, decus, & gloriam, ut non ſolum uberrima ſit commendandi materia, ſed & ſylva quædam ejus laudum impenetrabilis, immenſa, infinita, & in perpetuum porrecta. Quæ enim ſcientia, quæ ars, aut doctrina tam ingentem, tam admirabilem in animis hominum producit affectum, tam potenter propulſat injuriam, defendit innoxios, & efferatos animorum motus exſtinguit & cohibet? Quæ diſciplina omnes undique allicit tanta dulcedine, tot præmiis virtutes, tot honoribus doctos, tot laudibus ſui ſtudioſos muneratur, & afficit? Quæ ars, aut ſcientia a tectis noſtris, ab aris & focis, flammam, cædes, ferrum, & rapinam tam ſtrenue amolitur, quam hæc præſtantiſſima ars boni & æqui, quæ Advocatis laudem, & dignitates ampliſſimas, præmia facundiæ, magiſtratibus ſeveritatis, clementiæ, magnanimitatis, juſtitiæ, & æquitatis gloriam parit, &, ut verbo rem abſolvam, ne in re ſatis clara videri poſſim loquacior, omnis diſciplina, omnis ſcientia, quacunque vel immenſa, quacunque vel altiſſima laude deprędicetur, ſit ſane cęterarum omniū princeps & domina, ſed ſi cum juriſprudentia veniat in contentionem, jam ſubmitti, jam ſecundas agere partes incipiet. Scio eſſe ſermonem vulgo gratiſſimum, qui habetur de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

de quæſtu, de corradendis pecuniis, de pane lucrando, & inſigni proventu cujuſque materiæ. Nullius enim oratoris floſculi, nullius arculæ, aut myrothecia tantum in permovendis auditorum animis potuerunt efficere, quantum olim effecit nuda ac vix Latina Alexandri narratio, qui ad *rubr. Dig. de vulg. & pup. ſubſt.* tranſmiſit hoc in omnem poſteritatis memoriam, quod Baldus, quo non alius Ictus fuit fama tam hilari, ex ſola ſubſtitutionum materia reſpondendo lucratus ſit plus quam quindecim millia ducatorum. Et cujus quæſo non ſolum aures, ſed & manus non pruriunt, qui legunt Andræam Barbatiam ex uno conſilio, quo fratrum filios in ſtirpes ſuccedere conſulenti reſponderat, plus quam triginta emunxiſſe ducatos? Quem non incendit Ludovicus Romanus, qui ex uno reſponſo, quo homicidam defenderat, cappam, ut ipſius barbariſmo utar, ſericeam abſtulit? Quem non extimulat Joh. Imbertus, qui in libris *Inſtitutionum forenſium* teſtatur in Galliis pleroſque ex diurnis ſalariis ſibi comparaſſe pretioſiſſima prædia, opibuſque congeſtis claritatem generis tradidiſſe poſteris, ac eos inſeruiſſe tanquam in generoſas familias? Quem non defigit admiratione ſplendor & magnificentia Jaſonis, qui ad profeſſionem juridicam invitatus a potentiſſimo rege Galliarum Ludovico XI. ampliſſimum caſtrum & univerſum ejus territorium dono accepit. Verum abſit, ut juriſprudentiam rem omnino ſanctiſſimam velimus æſtimare pretio nummario. Abſit, ut imitemur infamem illam avaritiam, & abjectiſſimam vilitatem Angeli Raji Icti Neapolitani, qui cum oblatam a cliente pecuniam recuſaſſet accipere, cliens autem interim maluiſſet tranſigere, quam ab Advocato ſpoliari in ſolidum, palo affixus verberari ſe ab ancillia graviſſime juſſit ob cauſam non aliam, quam quod oblatam illam ipſam pecuniam, dum adhuc caleret, diſtuliſſet accipere. O ſordes turpiſſimas! o fœdam, inſanam, & execrandam cupidinem! Ubi, ubi eſtis lictores, virgatores validiſſimi? Cædatur virgis, cædatur fuſtibus Angelus Rajus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

Boves mortui jam in ipſum incurſent. Eja quid ſtatis? Feriatur fortiter, feriatur ut ſentiat Angelus Rajus. Nihil enim detrimenti in illo feriendo, in illo virgis cædendo Reſpub. capiet, qui libertatem pecuniis, pecuniis vitam non dubitavit addicere. Abſit ut expetamus juriſprudentiam, non quia honeſta eſt, & tota pulcherrima, ſed quia peperit divitias, maximos & ampliſſimos theſaurorum acervos. Non corporis oculis, ſed mentis eam acie contemplari oportet, nec computandum, quid ſingulis annis accreſcat pecuniis, ſed æſtimandus eſt præcipue fructus illius omnis ex animo noſtro & ex ipſius pulchritudine. Quod ſi fecerimus, etiam ſine ſpe prædæ, ſine ſpoliis clientum ſui incredibilem excitabit amorem. Si enim rem ipſam conſideremus attentius, ſi ad vitæ utilitatem omnia noſtra conſilia oportet dirigere, quid quæſo ſecurius, quam eam artem profiteri, qua ſemper armatus præſidium amicis, opem alienis, ſalutem periclitantibus, invidis vero & inimicis metum & terrorem ultro feras, ipſe ſecurus & veluti quadam perpetua potentia ac poteſtate munitus, cujus vis & utilitas rebus proſpere fluentibus poteſt per aliorum præſidium & tutelam intelligi, ſin proprium periculum & diſcrimen increpuit, non hercule lorica, aut balliſta, vel gladius firmius munimentum, quam reo & periclitanti telum juriſprudentiæ, quo propugnare pariter & inceſſere apud quemlibet magiſtratum aut judicem poſſis. Quid aliud cruentiſſimis literis regis Galliarum Jac. Cujacius quam juriſprudentiam ſuam olim oppoſuit, qui Senatum Bituricenſium reformatis infeſtum, & ad cædis exemplum perpetratæ Pariſiis reformatorum omnium necem & ſupremum excidium juſſu regis molientem ſapientiſſimo conſilio tantiſper eluſit, quoad Rex impium & atrociſſimum facinus differendum reſcriberet. Tanta apud omnium nationum homines eſt juriſprudentiæ vis & poteſtas, ut indiſtincte pios & impios ad ſui deſiderium & amorem alliciat, cujus jucunditas non uno tantum alterove mo-

mento

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

mento, ſed omni die propemodum & omni hora contingit. Quid enim aliud domus I&ti, quam velut oraculum totius civitatis? Teſtis fuit Mucius Scævola, cujus veſtibulum in infirmiſſima ejus valetudine, & affecta jam ætate celebratum eſt nihilominus ſplendidiſſimorum hominum ſumma frequentia. Teſtis fuit vir illuſtris Scipio Naſica, quem optimum dicere Senatus non dubitavit, cui domum etiam publice habitandam conceſſit, ut poſſet eo facilius a litigantibus conſuli. Teſtis fuit lumen illud Galliæ Carolus Molinæus, quem cum Annas Momorantius magiſter equitum commendaret regi Galliarum Henrico II. En, inquit, hominem, Rex potentiſſime, qui effecit libello, quod tu hominum xxx. millibus non potuiſti efficere, ut placatum haberes Julium Pontificem Maximum. Et, quæſo, quid dulcius homini libero, homini ingenuo, homini nato ad voluptates honeſtas, quam plenam ſemper aſpicere & frequentiſſimam domum concurſu ſplendidiſſimorum hominum, illos homines nobiliſſimos, illos viros illuſtres, illos præpotentes accedere & ad juvenem, & a re familiari non ſatis inſtructum, ut commendent aut ſua, aut amicorum negotia? Ullane tanta ingentium opum ac magnæ potentiæ voluptas, quam ſpectare nobiliſſimos & clariſſimos homines in ſumma omnium rerum abundantia confitentes id quod optimum ſit ſe non habere? Jam autem quam inſignis eſt fama, quam illuſtris memoria, quam proſpera veneratio, quam juriſprudentia nobis ſola conciliat. Contra vero, quos evexit fortuna ad imperium, ad regnum, ad gravem, inviſam, & formidandam potentiam, qui malis artibus floruerunt, & rexerunt rempub. qui fuerunt vel membrum, vel pars, & miniſterium alienæ potentiæ, alienæ ſævitiæ, alienæ nequitiæ, horum gratia viguit, dum ipſi ſteterunt; iis extinctis ſimul etiam defecit, & ſimul etiam extincta eſt ipſorum omnis memoria. Quæ ergo fama potentiſſimi hominis, & quid dico, potentiſſimi hominis, quæ fama cujuſvis artis poteſt comparari cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 L 20